UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed & Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima & pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XLVII. Dehortatio à Gula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

Visual Library

ceret? ait, rurſum ad ſeculum redii, & recepi mercedem meam in vita mea. En homines Palæſtinæ & vicinæ provinciæ exiſtimant me alicuius eſſe momenti, &c.

V. *ab exemplis eorum*, quibus vanæ gloriæ aucupium malè ceſſit, ut Luciferi, Adæ Protoplaſti, Ezechiæ Regis, & aliorum: de quibus conſule Theatrum Vindictæ Divinæ.

In EPILOGO *monebis Auditores*, ut omnes ſuas actiones ad gloriam Dei ipſarum ſpectatoris referant, & quoad fieri poteſt, virtutes ſuas occultent & occaſiones captandæ gloriæ refugiant. Sicut enim theſaurus abſconditus tutior eſt à latronibus, & virgo domi clauſa facilius caſtitatem ſervat, quàm quæ per vias vagatur; ita virtus occultata, à vana gloria & diaboli laqueis ſecurior eſt. *Sicut veſtem pretioſam*, inquit Chryſoſt. *cùm in publico ponimus, plurimos ad inſidias provocamus: ſi verò domi recondamus, in tuto cuncta ſervabimus: ſic ſi opes virtutum palam quaſi venales aſſiduè portemus in mente, inimicum incitamus ad furtum; ſin verò nemo alter id ſcierit, niſi quem nulla occulta latent, tutiſſimo in loco conſiſtent.*

Gregor. Hom. 3. in Matt.

Lu. 20. v. 32 Attendite, &c.

XLVII. DEHORTATIO A GVLA, ſeu ingluvie ventris.

IN EXORDIO *dices*, Sacram Scripturam non ſemel nos hortari, ut fugiamus intemperantiam cibi & potus, ut Prov. 23. v. 20. *Noli eſſe in conviviis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt.* Syr. 3. v. 19. *Vtere quaſi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, ne, cùm manducas multum odio habearis.* Ad Rom. 13. v. 13. *Sicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, &c.*

PROPOSITIO: Te etiam auditores ab hoc vitio dehortaturum.

Pſ.5.v.11.21 &c. Va. &c. Pro.23.v.29 Geneſ.3.v.16.17. Luc.17.v.27 Nu.11.v.31.

CONFIRMAT. I. Locus *ab effectis.* PRIMUS, quòd provocet iram divinam; nam ob fructum arboris vetitæ deguſtatum dictum eſt Evæ: *Multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios.* Adamo verò: *In ſudore vultus tui veſceris pane.* De eorundem filiis tempore Noe dicitur: *Edebant, bibebant uſq; ad diem, qua intravit Noe in Arcam, & venit Diluvium, & perdidit omnes.* Et de filiis Iſrael, faſtidientibus manna: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plaga magna nimis.* SECVNDVS, Eſt cauſa multorum morborum. Seneca ad Lucilium: *Multos morbos fercula multa ferunt.* hinc Cic. de Senect. *Tantum cibi & potionis adhibendum eſt, ut reficiantur vires, non opprimantur.* TERTIUS, excludit guloſos beatitudine æterna, quia ad Gal. 5. v. 19. comeſſationes, & ebrietates numerantur inter manifeſta opera carnis, regno cœlorum excludentia. Et Chriſtus ait: *Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.* Hinc dives epulatus ſplendidè, ſepultus eſt in inferno. QUARTUS, privat bonis etiam externis. Eſau enim, nimia ardens cupiditate edulii lenticulæ, primogenita fratri vendidit. Et Sapiens ait: *Qui diligit epulas in egeſtate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.*

Luc.6 v.24 Lu.16.v.19 Gen.25. v.33 Pro.21.v.17

II. Locus *à fragilitate omnium Sanctorum ab orbe condito.* Adam & Eva, eorumque poſteri ad duo annorum millia victitarunt arborum fructibus & terræ oleribus. Populus Iſraeliticus totos 40. annos manna & aqua vixit, morte punitus ſimulatque carnes concupivit; unde & ſepulchra eorum dicta ſunt ſepulchra concupiſcentiæ. Eliæ Prophetæ ſub quercu laſſo per Angelũ mittitur prandium, collyrida panis, & vas aquæ. Eliſæus filios Prophetarum invitat ad prandium herbarũ agreſtium. Danieli in lacum leonum mittitur meſſorũ prandium, *ut arbitror,* inquit Hieron. *ruſticanum.*

Syr. 19. Operarius &c. Pro,23. Vacantes, &c. Nu.11. v.34. 3.Reg. 19.v.6. 4Ro.4.v.39 Dan.24.v. 35. Dan.1.v.12.

Anani-

Ananias, Miſael, Azarias in Babylone captivi, contempta Regis menſa leguminibus veſcuntur, aquamque bibunt & pulchriores fiunt, &c. *Plura Exẽpla in ſpeculo bonorum Eccleſiaſt.*

In EPILOGO *monebis Auditores*, ut in omnibus cibis ſemper vitent ſatietatem, ſeu tantum cibi ſumant, quantum ad vires corporis, pro ratione ſtatus & officii quod exercent, comparandas, fuerit ſatis: & ſi conſueverunt largiori cibo potuq; ſe reficere, invocato divino auxilio pravam conſuetudinem paulatim melioris beneficio expugnẽt, certum etiam tempus comedendi, ut prandii, cœnæ, obſervent, & lautitiem, ſeu laborioſum eduliorum apparatum devitent.

XLVIII. DEHORTATIO A VITIOſo amore ſui, quo quis duntaxat ſtudet ſuis commodis, nulla ratione habita vel divinæ gloriæ, vel alterius finis honeſti.

EXORDIUM *ducetur* à Propheta Apoſtoli Pauli: *in noviſſimis diebus erunt homines ſeipſos amantes.*

In PROPOSITIONE *dices:* Cùm iſthoc vaticinium S. Pauli in hac mundi ſenecta videamus eſſe impletum, deliberatum tibi eſſe Auditores à vitioſo hoc amore dehortari.

CONFIRMA. I. LOCUS *ab effectis vel incommodis.* Nam PRIMÒ, eſſe eum radicem, fontem, ac ſeminarium omnium vitiorum, indicat S. Paulus, cum prædictæ prophetiæ ſtatim ſubjungit: *cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obediẽtes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinẽtes, &c. & voluptatũ amatores magis quàm Dei.* SECUNDÒ, Valde humanam mentem excæcat, vel, (ut loquitur S. Greg. *Ho. 4. in Ezech.*) vehementer claudit oculum cordis, & idcirco nõ facilè agnoſcitur, maximè in excellentibus virtutum operibus.